DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA ANGINOSA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA ANGINOSA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SWABY PLUMMER,

JAMAICENSIS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Edidi quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coegerunt. CICERO.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

ANDREÆ FYFE,

ARMIGERO,

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. SOC.

&c. &c. &c.

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA;

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

SUMMA REVERENTIA,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA ANGINOSA

PROOEMIUM

SCARLATINA morbus est, qui signorum gravitate multum variat, ideoque in species plures divisus. Quas plerumque tamen ad tres referunt scriptores, Simplicem, nimirum, Anginosam atque Malignam. Jamque has sigillatim tractare mihi neutiquam proposito est; quod quidem, quamvis vellem, minime tamen, intra cancellos huic tentamento idoneos, commodo perficere possem

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA ANGINOSA.

PROŒMIUM.

SCARLATINA morbus est, qui signorum gravitate multum variat, ideoque in species plures divisus. Quas plerumque tamen ad tres referunt scriptores, Simplicem, nimirum, Anginosam atque Malignam. Jamque has sigillatim tractare mihi neutiquam proposito est; quod quidem, quamvis vellem, minime tamen, intra cancellos huic tentamento idoneos, commodo perficere possem.

Ergo de specie una solummodo, nempe, Anginosa, jam disserere suscipio; neque de ea aliquid novi proferre queo: Neque alio nisi studio institutis Academiæ hujus celeberrimæ obtemperandi, ad omnino scribendum sum adductus. Hæcce igitur qualiacunque sint, ea animi modestia qua medicum juniorem decet, criticorum judiciis submitto, typis demum mandanda. In hac tractatione mea talem sequar ordinem: primo, Morbi Definitionem; secundo, Historiam; tertio, Diagnosin; quarto, Causas; quinto, Medendi rationem, traditurus.

DEFINITIO.

Synocha contagio potens, semel tantum vitæ decursu aliquem afficiens; functiones devorandi atque spirandi plus vel minus difficiles; tumor, rubor, dolor, tonsillas membranamque faucium mucosam urgentes, crustis mucosis coloris cinerii vel albescentis, ibidem serpentibus, atque ulcuscula interdum tegentibus; tertio morbi die facies

aliquantum tumens; simul in cute efflorescens passim eruptio rubicunda, maculis amplis vix eminentibus tandem coalescentibus, eadem post tres quatuorve dies in squamas furfurosas abiens, aqua intercute interea sæpe superveniente.

HISTORIA MORBI.

SCARLATINA Anginosa est in numero morborum, qui, ex contagione peculiari, febre comitante oriuntur, quique præcipue afficiunt pueros et infantes. Prima origo morbi latet, non nisi scriptorum recentioribus observati; neque HIPPOCRATES neque antiqui auctores de eo ullam mentionem fecerunt. De quo INGRASSIA, medicus Neapolitanus, scripsit primo, sub nomine *Rossaliæ*, anno 1500. Grassabatur in variis regionibus, antequam in hac nostra apparuit. Ex quo ortus ejusdem in nostris primo notebatur, anni centum quinquaginta elapsi fuerunt; verum unde vel quomodo terræ nostræ incolas insederit, non constat. Contagium e portubus orientis, vel Maris

quod Medium inter Terras nuncupatur, perlatum Doctor WILLAN* arbitratur.

Scarlatina formam Anginosæ frequentissimam sibi sumit. Haud secus ac alii febris morbi, incipit a frigoris curriculo, cujus principes notæ sunt horrores, languor, lassitudo, debilitas, sensus regionis cordis gravatæ, dolor capitis dorsique, cibi fastidium, vomitus interdum, faciei pallor, animus demissus, pulsus celer et infirmus. Hæc indicia ejusmodi sunt quæ hominem alio atque alio temporis spatio, a dimidio die ad dies tres quatuorve usque, afficiant; fere tamen intra horas viginti quatuor finiuntur. Frigus subsequitur tum calor ingens, tum magna anxietas cum febre. Calores primum et frigora mutuo vice alterna subeunt; horrores accedunt; qui quo perfectiores sunt, eo citius curriculum corporis excitati instituitur. Hoc ubi usu venit, facies ex pallida rubra fit, exactoque aliquo tempore paulum tumida; dolor capitis intenditur; sitis magna urget; lingua medio sui albida et sicca, ad margines est rubra, et interdum humida; decursu morbi qua

* Vide WILLAN "On Cutaneous Diseases," p. 284.

albida erat, in colorem fuscum mutatur; pulsus celeritate vique sua augetur; cutis arida est vehementerque calida; quinetiam calor in hoc morbo major esse solet, quam in ulla alia febre hujus regionis; quippe qui ad gradus centum quinque, vel centum octo, atque etiam ad centum duodecim, thermometri Fahrenheitiani, interdum perveniat. Sed tamen series communis caloris a centum duobus ad centum quatuor ascendit.

Alvus fere semper apud initia hujus morbi astricta est; etsi non raro sub finem crebræ dejectiones fiunt. Urina est interdum parca, sed præcipue sub metam morbi, si signa hydropis adsunt; variat multum colore, interdum rubra, alias pallida. Sudores impediuntur, spiritus aliquando difficilis est, quod ubi accidit, ex inflammatione faucium pendet. Signa autem febris, ut in plerisque, per diem paulum remittuntur, vespere intenduntur ægerque tunc delirio sæpe afficitur. Secundo die febris malum gutturis se ostendit; etsi interdum ab initio protinus febricitanti incipit. Signa sunt, rigiditas quædam musculorum colli, fauces exasperatæ, et nonnunquam coarctatæ; vox rauca, functio devorandi et respiratio difficiles. Fauces,

velum palati, uvula, tonsillæque rubræ sunt et inflammatæ; fluxus muci copiosus est; ad hæc fluxus e naribus quoque augetur, fortasse ex inflammatione membranæ eisdem obductæ. Guttur autem eo magis minusve affici solet, quo major minorve febris est. Si igitur hæc mature moderata est, suppuratio et exulceratio raro accedunt; quod si permittitur eidem vehementer procedere per tres quatuorve dies, plus minus suppurationis et exulcerationis sæpissime erit. Sed ubi hæc occurrerunt, pus satis sanum effunditur; et cum febris decedit, crustas projiciunt eadem citoque sanantur. Interdum autem ex irritatione faucium internarum glandula parotidæa submaxillarisque indurantur, et inflammantur, atque nonnunquam etiam suppurant; hoc sæpissime in corporibus strumosis accidit.

Tertio die febris, eruptio super cutem plerumque se ostendit; etsi interdum id evenit die primo vel secundo; color ejus ruber est quasi astaci elixi. Primum species est rubrorum punctorum, quæ conjuncta, maculas nullius certæ figuræ spatiisque cutis integræ plus minus inter se separatas efficiunt. Eruptio autem collum pectusque

occupat; dein corpore toto serpit, neque tamen tam generalis est per truncum corporis, quam per nates lumbosque et articulos. Interdum molestissimus pruritus eam comitatur. Quæ quidem minime aspera sub digitorum pressura recedit, ita tamen ut, sublatis illis, in conspectum redeat. Idem ex frigore accidit, et annotari potest in brachiis ægrorum, quæ cum primum ex stragulis protruduntur, eruptione continguntur, postea vero quam frigori paulisper objecta fuerint, illa iterum se subducit. Doctor Heberden * autem, in uno exemplo, plane contrarium effectum observavit; sed hoc a generali lege exceptio fuisse videtur. Siquidem, dum eruptio ex fluxu sanguinis ad cutem manifeste pendeat, omnes causæ quæ huic fluxui favent, eandem facere manifeste debent. Interdum parvæ vesiculæ per eruptionem diffunduntur, quas Doctor Rush † varicellæ similes existere ait. Eruptio incipit recedere plerumque circa quin-

* Vide "Heberden's Commentaries," p. 20.

† Vide Rush's "Medical Inquiries and Observations," p. 123.

tam vel sextam diem, sed nullum hujus morbi signum incertius ista est. Doctor BATEMAN * ait, "it vanishes sometimes the day after its first appearance, and re-appears partially at uncertain intervals, but without any corresponding changes in the general disorder." Quin et ista aliquando omnino se non ostendit; sed de hac re medici falli possunt, siquidem potuit per tam breve spatium adesse, ut adstantium animos fugerit. Quæ posteaquam recesserit, cuticula intra paucos dies in squamas abire incipit, idque, eo citius tardiusve finitur, quo eruptio brevior longiorve permanserit. Hic haud inepte dici potest, capillos plerumque post decessionem morbi decidere. Ungues fere non afficiuntur; sed in uno exemplo, Doctori CLARK † id adeo perfici visum est, ut ungues cum cuticula etiam exciderent.

Febris interea septimo octavove die, interdum vero paulo maturius, fere discedere cœpit; cujus decessum ostendunt lingua humida, pulsus tar-

* Vide BATEMAN "On Cutaneous Diseases," p. 75.

† Vide CLARK'S "Observations on Fever," p. 208.

dior molliorque, atque calor naturalis. Huc accedit crustarum decessio, si exulceratio in gutture facta fuerit. Rem in melius mutatam exinanitiones nonnunquam comitantur; quales sub finem febrium continuarum accidere solent; hujusmodi sunt et sudores qui primum fere resolutum morbum nunciant, et dejectiones, tum urinæ copia aucta, tum denique sanguinis e naribus profluvium. Non semper tamen morbus tam feliciter submovetur; sed ad mortem, maximeque malo gutturis, ruit; quæ quidem ratione alia atque alia celeriter supervenit. Imprimis fluxus e faucibus humoris fœtidi aliquando adest, qui, ut in intestina descendit, assiduam diarrhœam moveat, quod usque hæret donec vires ægri penitus fractæ collabantur. Interdum homo gangræna gutturis perit, mirumque est quam parva portio ita affecta ad miserum tollendum satis sit. Aliquando ea quidem malo lethali læsa magnitudinem pisi non excedit: Interdum fatum per inflammationem faucium venit, quæ ad laryngem extenditur, et cynanchen trachealem excitat. Mors in hoc morbo non semper ex inflammatione gutturis pendet,

sed interdum ab aliarum partium, sicut cerebri, pulmonum, intestinorum, et jecinoris.

Doctor HEBERDEN * ait, morbum sæpe difficultate spirandi, sanguinisque excreatione, in iis terminari, quorum pulmo antea sanus putabatur. Neque ubi febris discessit, periculum ægri totum cessat; quamvis hoc in plerisque febribus fiat. Plurimi eorum qui ex hoc morbo convalescunt, prima, secunda vel tertia hebdomada postea hydrope corripiuntur; ex quo non pauci intereunt. Antequam aqua in ulla parte appareat, hæc signa præcedunt, lassitudo nimirum, virium dejectio, animus demissus, æger per noctem somno non bene refectus, urina parca, sudores impediti, cutis arida, sitis perpetuo vexans, appetitus cibi multum imminutus. Hydrops sub forma tumoris faciem vel malleolos pedum circiter occupantis, tandemque nunc hanc nunc illam partem præcipue lædentis, se ostendit. Quod si remedia necessaria non cito usurpata fuerint, tum vero in abdomine vel thorace, et interdum in cerebro, humoris fit effusio. Hydropis tali supervenientis modo

* "HEBERDEN's Commentaries," p. 22.

causa princeps est cutis exhalatio suppressa ; quod ex frigore ad corpus admoto sæpe occurrit, vel ex cuticula impedita, ne in squamas abeat.

DIAGNOSIS.

Rubeola Scarlatinæ simillima est. MORTON putabat rubeolam et scarlatinam tam inter se conjungi, quam variola distincta et confluens; sed diagnosis inter priores satis evidens est. Scarlatina anginosa a rubeola discerni potest, tum ingente febre tum rubore eruptionis vivido, cujus maculæ nullam certam figuram ostendunt, item quod illa tertio morbi die accedit; denique per inflammationem gutturis.

In rubeola rursus febris non tanta est; eruptio obscurior, maculisque lunæ crescentis specie notatur, neque ante diem quartam prodit; nullum præterea malum gutturis adest. Ad hæc in scarlatina desiderantur signa gravedinis, quæ propria sunt rubeolæ, tussis, scilicet, epiphora et sternutationes.

Scarlatinam anginosam non admodum facile est discernere a Cynanche tonsillari, nondum comparente eruptione. Plerumque tamen in illa febris major urget, calor cutis magis ardescit, inflammatioque gutturis ante secundam diem febris non se prodit; dum in hac præcipuum signum semper est affectus faucium. Diagnosis e historia morbi perfectior erit; etenim si juvenis contagio scarlatinæ objectus fuerit, verisimile est eum in scarlatinam incidisse.

Ab Erysipelate autem discriminatur scarlatina, eo quod eruptio hujus magis diffunditur; dum in priore rubor unam solam partem occupat, inque exiguas vesiculas aquosas desinit; neque id præterea contagio valet, neque hominem semel tantum decursu vitæ aggreditur: pueri insuper raro hoc morbo afficiuntur.

CAUSÆ REMOTÆ

In Prædisponentes et Excitantes dividuntur.

Causæ Prædisponentes.—Puerique et puellæ longe magis obnoxii sunt huic morbo quam adulti; mulieres quam viri; debiles quam robusti. Sed tamen numerus mulierum quam virorum, qui hoc morbo laborant, major extat. Per res a Doctore CLARK * observatas apparet, sexum utrumque ad hunc morbum aleâ pari proclivem existere; mulieres autem eodem frequentissime correptas, propterea quod contagioni ejus magis se objectant, inter ægrotis assidendum. Quin et ille censet virorum et fœminarum qui ante annum ætatis vigesimum in hoc malum implicati fuere, numerum prope eundem esse; ea vero elapsa, has quam illos plures. His morbus sæpius liberos pauperum quam divitum adoritur, cujus ratio evidens est; illi nimirum contagioni causisque proclivitatem ad morbum inducentibus magis obnoxii fiunt, quales sunt vestimentum parum calidum, diæta non satis nutriens, cultusque immundus.

---

* Vide "CLARK's Observations," p. 203, 204.

Causæ Excitantes.—Causa excitans hujus mali propria contagium est; quod e corporibus illâ conflictantium generatum, aliisque adhuc integris admotum, morbum parit. Neque illud nisi semel in aliquem cadere vitæ curriculo potest. Quomodo in morbo excitando operatur, satis obscurum. Variæ quidem captæ sunt conjecturæ unde res illustraretur; quarum mentioni faciendæ supersedeo, quoniam explicatio nulla adhuc prolata, sufficere mihi videtur. Contagium admodum actuosum est; die tertio quartove postquam admotum fuit, morbum concitari existimat WITHERING *. BLACKBURNE † ait morbum a quarto ad sextam diem post acceptum contagium supervenire.

CURATIO MORBI.

JAMQUE ad curationem pervenimus, cujus efficiendæ consilia sunt, primo, febrem temperare;

---

* Vide WITHERING, p. 61, 62.

† Vide "BLACKBURNE's Observations on Scarlet Fever," p. 34,

secundo, imbecillitatem corporis ægri sanare; tertio, indicia quædam levare, et hydropem, qui morbum frequentissime sequitur, tollere. Ex remediis autem quæ febrem sedant, habitumque inflammatione liberant, sanguinis missio potentissima est. In pueris tamen hæc fere non exigitur, morbusque aliis auxiliis discuti potest. Juvenibus vero corporis constitutione robustis atque adultis, illa est optimo remedio. Signa vero quæ hanc postulant, sunt quæ phlegmonam adesse designant; quæ si admodum gravis infestet, vel cerebrum ullo modo ab ea læsum videatur, tunc sanguinis detractio adhibenda est, eoque major, quo magis signa urgent. Veruntamen magna sanguinis jactura nihil opus est, cujus sexdecim uncias ex adulto homine detrahere satis fere putatur. Sanguis emissus quanta sit inflammatio, fere documento extat; idemque utrum iterum mitti debeat, e multis rebus pendebit. Hoc autem auxilium quo maturius usurpatur, eo efficacius erit. Aut non omnino aut cautissime exinanitio ea prescribenda est, postea quam signa ulla debilitatis gangrenæve faucium supervenerint.

Sanguinis missionem sequuntur purgantia; quam quæ nihil magis valere in scarlatina anginosa repertum est. In qua aliquando quidem usus purgantium remediorum multum vituperatus est. Laudem autem superandi falsas opiniones contra ea ministranda pollentes, sibi comparavit Doctor Hamilton senior. Ille enim e felici eventu, quo purgantia ipse adhibuerat in plerisque morbis, ductus est ut medicis omnibus ea commendaret; neque spes quam habebat fore, ut idem commodum aliis quoque ex eorundum administratione reportaretur, ullo modo falsa evasit. Hæc autem libere danda sunt matureque, atque ita, ut quatuor quinqueve dejectiones quotidie moveant. Quibus vero catharticis præ aliis utatur medicus, eligere magna ex parte ipsi integrum est. Ex his submurias hydrargyri vehementer laudatum; verique simile est, hoc eo nomine cæteris purgantibus præstare, quod jecoris secretionem hoc morbo admodum corrumpi solitam, id quod aspicitur ex colore dejectionem parum sano, corrigit. Medicamentum tamen idem cum rheo jalapave vel scammonia conjunctum, beneficio majore erit, quam sine compositione tali

exhibitum. Cum scammonia vero commistum, et infantibus datum, respondet optime; eoque melius est quam jalapa, quod tantam nauseam non movet, ventriculoque facilius insidet. Certius quoque operatur quam rhabarbarum una cum calomelane exhibitum. Posteaquam igitur intestina his similibusque medicamentis bene purgata fuerint, naturalisque color ad dejectiones redierit, tum ad sales medios venire licet. Ex his sulphas magnesiæ, vel aliud tale ex infuso sennæ, commode datur; idque magis necessarium in adultis quam in infantibus erit, siquidem in illis cathartica ex hydrargyro salivæ fluvum excitare possent; fere tamen nullus metus hujus rei est, donec sua febri vehementia perstat. Mirum enim est quantopere corporis humani constitutio fluxui salivæ obstet, ubi hydrargyrum maximis copiis per ardentem febrem datum est; eo ut, eadem copia medicamenti, quæ febricitanti vice una impune sumitur, solita conditione hominis sanaque screatum insignem cieret.

Ex optimis autem remediis hujus morbi, frigida faciei lavatio corporisque, vel, ut dicitur, gelida affusa, manifeste est. Si enim mature in morbo, vel simul atque indicia fe-

bricitantis semel se ostenderunt, adhibetur, sæpe morbum tollit, vel certe vires ejus usque adeo frangit ut sine periculo cursum trahat. Virtus autem gelidæ affusæ, ex subita impressione in sensus omnes corporis facta pendet. Gelidam affusam sequuntur imminutus calor, pulsusque magis moderatus. Spatium quo hæc proveniunt beneficia, varium est. Interdum enim homo vix siccatur, in lectoque ante collocatur, quam temperies augeri iterum incipit, pulsusque crebrior reddi. Temperies aquæ pro calore summæ cutis constitui debet, quæ, quo magis ad statum sanum vergit, eo aqua tepidior sit licet. Interdum necessarium est frigida lavatione uti decies vel sæpius horis viginti quatuor; quæ si morbum solvit, sudor sæpe erumpit ægerque proclivis ad somnum redditur. Inter adhibendam vero frigidam lavationem quædam pericula subsunt, quæ memoria probe sunt tenenda. Itaque siquis sudor super cutem est, si calor naturalem non constanter excedat, neve æqualis per totum corpus sit, ita ut extrema membra frigeant, internæ partes corporis præter naturam caleant, si quis horror per corpus sit, abstinendum ab hoc remedio est. Laus au-

tem gelidæ affusæ in hujusmodi morbis adhibendæ jure datur Doctori CURRIE, qui eandem in hoc quoque malo quodammodo usurpavit. Hoc autem maxime fecit amicus ejus Doctor GERRARD; summoque commodo a Professore nostro celeberrimo Doctore GREGORY idem tentatum est.

Proxima remedia vomitoria sunt quæ non minus in Scarlatina Anginosa quam aliis febribus valere reperta sunt, modo mature adhibeantur. Tunc enim morbum non raro curtant; quod si nimis inveteraverit quam ut id faciant, tamen plurimum signa molestissima leniendo prodesse reperiuntur. Hoc efficiunt eo maxime quod tollunt magnam copiam muci, quæ gutture secreta illud obstruit, atque ita ægro non parvum incommodum facit, aëre nimirum impedito, ne plene pulmonum introeat. Reperta sunt quoque plurimum beneficium præstare, ex potestate qua fruuntur, fluxum humorum ad summam cutem movendi.

Hæc remedia a Doctore WITHERING * merito laudata sunt; sed tamen neutiquam opus

---

* Vide WITHERING "On Scarlet Fever," p. 76.

esse videtur eisdem tam sæpe dandis, quam ille præcipit. Ubi vomitorium ideo imperatur ut morbum curtet, copiosius dari debet, ita ut cito et plenius operetur. Quod si vero ille diutius jam hæserit quam ut id speremus, solumque consilium sit, fauces detergere, sudoresque movere, lenius vomitorium melius respondebit, neque vires ægri tantopere franget. Quod vero ad victum ægri pertinet, is esse debet levissimus et simplicissimus. Cibi e carnibus omnino prohibendi sunt; sitis sedandæ gratia, tosti panis infusum, vel aqua succo mali citri aliisve acidis medicata, vel etiam ipsa frigida per se libere, suadenda est. Acidum * autem oxymuriaticum adulto homini ad drachmam datum, a Doctore WILLAN plurimum laudatum est. Ad hæc, aqua, in qua paulum supertartratis potassæ solutum est, potio satis grata in febribus; quæ quoniam parvi constat, multum in valetudinariis adhibetur. Conclave autem ægri modica temperie servari debet, perque idem fluxus aëris libere transire. Æger autem non nimio molliter cuba-

---

* Vide WILLAN "on Cutaneous Diseases," p. 360.

re debet, siquidem hoc modo calor corporis augescit; neque magno onere stragulorum accumulandus; etsi hic ipsius sensibus magna ex parte consulendum est. Lecti vela tollenda sunt, non modo quo cursus aëris liberior sit, sed etiam ne præbeant fomites qui contagium propagent. Denique omnes partes regiminis antiphlogistici non minus in hac febre quam in cæteris omnibus, servari necesse est. Atque hæc quidem ad primum consilium medendi pertinent.

Alterum est, ut debilitas summa quæ interdum hunc morbum sequitur, tollatur. Quod ubi accidit, robora ægri per victum nutrientem facilemque concoctu sustinere, medico conandum est. Hac mente, vinum prout id exigere res videtur, ei permitti debet. Sanitatis reditus per exercitationem modicam, cœlum rusticum, lavationesque tepidas, magnopere acceleratur. Vestimenta ægri calida sint oportet, ad cutis halitum promovendum, ne hydrops incautum nec opinantem adoriatur. Plurimi cinchonam commendant, quæ cum acido sulphurico forma misturæ conjuncta, non sine multo commodo datur. Sed sæpe ubi æger adolescentulus est, eam per os non facile

capit, tum eandem per clysterem ministrari fit necessarium. Convalescenti retinere debet alvus facilis et mollis. Qui si noctu non bene dormit, opiata ad horam somni admodum utilia sunt. Jamque cubiculi temperies magis calescat quam ubi febris adest. Præterea, corpore ita debilitato, neutiquam fas est tam cito post febrem finitam cubiculo exire, ne is tali modo opportunus quid detrimenti ab aëre frigido patiatur. Jamque restat quod tertium indicatur, ut morbi signa quædam leventur, ac hydrops illum frequentissime sequens, tollatur.

Inflammatio faucium pars maxima morbi est, itaque primum attentionem nostram ad se convertit. Illa ubi admodum gravis urget, protinus attentanda est, tum remediis proxime ad organum affectum admotis, tum eisdem ad corpus universum spectantibus, quorum sub primo curationis consilio meminimus. In eo quidem feliciter agendo, abstractio sanguinis per hirudines vel cucurbitulas multum laudatur; sed si morbus diutinus perstiterit, et adsit suppuratio, vel gangrænæ instantis signa, tum vero sanguis e partibus laborantibus non omnino, vel cautione pari

ac e brachio sub casum talem, detrahatur oportet. Missionem sanguinis per hirudines vel cucurbitulas sequuntur vesicatoria, quæ faucibus externis admota, plurimum valere se probaverunt. Sed si ullus metus gangrænæ subest, parum tuto imponuntur. In his exemplis morbi, quæ non tam gravia sunt ut vesicatorium postulent, multum commodi ex rubefacientibus profluit. His externis ad phlegmonam gutturis debellandam præscriptis, ad interna quoque organo eidem applicata, incumbendum est diligentia haud minori.

Jam gargarismata innuimus, quæ hoc laborantibus malo utilia admodum sunt et jucunda. Quæ quidem astringentia plurimum proficiunt, assidueque per morbum usurpari debent. Eadem ex acido sulphurico muriaticove aut nitrico, vel ex sulphate aluminæ et potassæ, satis bene respondebunt. Infantum autcm fauces, quoniam illi gargarizare eas per se nequeunt, sæpe idoneo instrumento sunt eluendæ. Hoc permagni interest, magisque quam aspectu primo suspicaremur. Exempla enim non pauca sunt puerorum ex negligentia hujus præsidii male sublatorum. Quod si exulceratio facta sit, effususque humor perquam fœtidus, necessarium erit excitantibus antisepti-

cisque gargarismatis uti. Quale e capsico annuo est, tantopere in India Occidentali usurpatum, quod in optimis numeratur.

Jamque de hydrope curando, qui scarlatinæ cedentis vestigia sæpenumero premit, perpauca sunt subjungenda. In quo quidem pariter ac cæteris contingit, ut multum e signorum gravitate pendeat. Ubi levis adeo est morbus, ut manus faciemque solas occupet tumor, illum fugare purgantia sæpe possunt.

Verum si corpus quando latius intumuerit, signaque mali omnia confirmata fuerint, tum vero medicamenta dare necesse est, quæ fluxum urinæ majorem incitant. Cujus generis usitatiora sunt scilla maritima, digitalis purpurea, spiritus ætheris nitrosi. Digitalis infusum commendavit Doctor Blackhall *, quod dandum copia definita pro singulorum ætate, drachma de die pueris sufficiente, ille arbitratur. Hanc speciem aquæ intercutis, sanguine emisso sæpe solvi; eodemque remedio adhibito, vel saltem cum diureticis con-

---

* Vide Blackhall "on Dropsies," p. 303.

juncto, id ipsum citius sic perfici medici complures tradunt.

Jam antea significatum est, Scarlatinæ emeritæ ex hoc sæpe succedere aquam intercutem, quod cuticula non rite in squamas discedat. Tali vero ejusdem solutione per lotiones calidas fotumque promota, impedimentum hydropi sic efficax ponitur, ne is ingruat.

FINIS.